

Nicolaus Petraeus

**DISPVTTATIO || DE PHILOSO-||PHIA EIUSQVE PAR-||tibus & instrumentis in ge-
||nere:|| proposita à || M. NICOLAO PE=||TRAEO Husano Holsato:|| defendenda à
|| PETRO HAMERO Hu-||sano Holsato:|| In privato Collegio 7. Februarij: in Aca-
||emiâ Rostochiensi.||**

Rostock: Ferber, Augustin d.Ä., 1596

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1695612094>

Druck Freier  Zugang



N. Petrus.
R.M. phil. 1596/2

DISPVATIO
DE PHILOSOPHIA EIUSQUE PARTIBUS & instrumentis in genere:

proposita à
M. NICOLAO PETRÆO Husano Holsato:
defendenda à
PETRO HAMERO Husano Holsato:

In privato Collegio 7. Februarij: in Academia Rostochiensis.




ROSTOCHII.
Typis Augustini Ferberi junioris.
M. D. XCVI.

1596



THESES.
DE
PHILOSOPHIÆ PARTIBVS
& instrumentis in genere.

I.

 Vabus homo constat partibus, animâ & corpore. quæ licet post primorum parentum lapsum quoad essentiam manserint, quoad ornamenta & vires, non ^{omnes} abolitæ sint; tamen fædè conspurcatæ, & multis incōmodis implicitæ fuerunt: anima quidem ignorantia & pravis affectibus: corpus verò indigentia & infirmitate.

II.

Ob animæ incommoda aliquo modo tollenda; disciplinæ & artes liberales: ob corporis; artes illiberales seu Mechanicæ, instinctu lucis naturæ, ut humana quædam remedia, à viris præstantibus inventæ, & in lucem productæ sunt.

III.

Disciplinas & artes liberales, Philosophi veteres, à Socratis tempore, nomine Philosophiæ complexi sunt. Ex quo liquet, quod sit doctrina hominis animum liberalibus disciplinis informans.

A 2

Hujus

IV.

Hujus vocis origo ad Pythagoram refertur: is enim cum perspiceret humanæ naturæ in rerum inquisitione & contemplatione incertitudinem & imbecillitatem, se non σοφόν, ut priores Philosophi. sed φιλόσοφον insigni modestiâ apud Leontem Phliasiarum tyrannum nominavit.

V.

Inventionem verò Philosophiæ alij Barbaris, (ut Iudæis, Chaldæis, Ægyptijs) alij Græcis acceptam referunt. Sed nec à Barbaris totam, nec à Græcis totam; sed à Barbaris primum inventam à Græcis deinde excellenter auctam & perpolitam: à Latinis explicatam & conservatam esse statuimus.

VI

Divisiones etiam alij alias tradunt, quas quia operosum omnes percensere, nos, cum ad animæ culturam & instructionem inventa sit, convenientissimam divisionem ex animæ consideratione, defumi censemus.

VII.

Animæ autem cum duæ sint primariæ facultates, τὸ γνωστικὸν καὶ τὸ ὀρεκτικὸν, duæ quoq; philosophiæ partes duas istas facultates dirigentes & informantes constituendæ erunt.

VIII.

Quæ priorem informat, quia in θεωρίᾳ contemplatio-

platione maximè, seu simplici veritatis cognitione occupatur, θεωρητικῆ contemplativa: quæ posteriorem, quia in θεωρητικῆ actione cum primis, seu veri boni acquisitione laborat, πρακτικῆ activa, à fine, appellatur.

IX.

Utraq; propter rerum subjectarum διαφορῶν & dissimilem considerationem, dissimiles quasdam partes complectitur.

X.

Theoretica enim juxta tripertitam eorum, quæ cognoscuntur, differentiam & rationem considerandi, in tres præcipuas & primarias distribuitur partes.

XI.

Prima vel τὰ ὄντα ἢ ὄντα, sive ἀπλῶς ὄντα, eorumq; proprietates, seu nudas, & ab omni materiâ & conditionibus ejus separatas substantias: vel communia cognitionis nostræ principia contemplan, METAPHYSICA vocatur.

XII.

Secunda corporearum & naturalium substantiarum in hac rerum Universitate existentium causas, proprietates & affectiones varias, tam in genere quam in specie inquirens, formas cum materiâ connexas considerat; quæ cum sine applicatio-

catione materiae non intelligentur, τὰ ἐκ προσθέσεως ὄντα inspicere dicitur, & est **PHYSIOLOGIA**: ad quam referendae sunt speciales istae disciplinae, ἀνθρωπολογία, ζωογραφία, δυνάμειογραφία, μετεωρολογία, μεταλλογραφία, & si quae sunt aliae tales.

XIII.

Tertia neq; τὰ ἀπλῶς, neq; τὰ ἐκ προσθέσεως, sed τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως ὄντα à corpore naturali abstracta, quae sine illo revera non subsistunt, seu rerum naturalium proprietates & accidentia perpetua & immutabilia inquirunt, **MATHEMATICA** pura nominata.

XIV.

Per hanc intelligitur quantitas: hujus enim species & affectiones per abstractionem, mentis seu intellectus vi peractam, explicat & proponit.

XV.

Cum verò Quantitas duplex sit, discreta & continua, duae quoq; Mathematicae purae erunt partes. Vna, quae discretæ quantitatis, id est, numerorum species, naturas & proprietates perpendit, ut **ARITHMETICA THEORICA**.

XVI.

Altera quae quantitatis continuæ, magnitudinis scilicet, in figuris, proportionibus, terminis, & vario positu, differentias & proprietates contemplatur, **GEOMETRIA** dicta.

XVII.

Hæ Mathematicae partes τὰ νοητὰ, hoc est, à materiâ intellectus operatione sine ullis externis auxilijs separata, tantum considerant. Sunt autem & aliae considerantes τὰ αἰσθητὰ hoc est ea, quae à solo intellectu, sine sensuum auxilio, & materiâ sensibili non perpenduntur: quae etsi à quibusdam ad Mathematicam; à quibusdam ad Physiologiam referuntur; rectius tamen, quia subiecto physico Arithmeticae vel Geometriae rationes

tiones accommodant, ex Physiologiâ & Mathematicâ MIX-
TÆ dicuntur.

XVIII.

Hæ pro subjectorum varietate variæ sunt. Nam, quæ A-
rithmeticæ rationes harmoniarum vel sonorum differentijs &
proportionibus ad aurium iudicium accommodat, MUSICA
PRACTICA seu *κανονική*: quæ rebus sensibilibus numerandis
ARITHMETICA PRACTICA seu *λογιστική* nominatur.

XIX.

Quæ vero Geometriæ rationes corporum cœlestium mo-
tibus & distantijs, tum inter se, tum à terra applicat, ASTRO-
NOMIA: quæ oculorum radijs, umbris, rerum figuris & di-
stantijs, *ὀπτική*: quæ mundi delineationi, *κοσμογραφία*: quæ
mundi partis descriptioni, *γεωγραφία*: quæ arearum terræ qua-
rumcunq; regionum & agrorum dimensionibus, *γεωδαισία*:
quæ machinis bellicis, ædificijs, *ἀντομάταις*, aut alijs structu-
ris ΜΗΧΑΝΙΚΗ vocatur.

XX.

Practica porro rectè vivendi normam homini præscri-
bens, duabus constat partibus: Generali & Speciali. Generalis
præscribit præcepta honestè vivendi in quocunq; vitæ statu &
ordine, & totius philosophiæ practicæ fundamenta sternit,
ETHICA propriè dicta. Specialis actiones nostras secundum
honestatem ad certam vitæ societatem accommodat: quod
cum sit publicè in civitate vel repub. POLITICA: si verò pri-
vatim in domo vel familiâ, OECONOMICA appel-
latur.

XXI.

Priores disciplinæ in *θεωρία* versantes animam ab igno-
rantia, posteriores in *πράξει* eandem à pravis affectibus ali-
quo modo purgant & liberant.

XXII.

Sed præterea animus humanus regulis quoq; quibusdam
seu habitibus instrumentalibus indiget, ut iusta ratione adscop-
pum suum procedat, & ut horum adminiculo ad *θεωρίαν* &
πράξιν intellectui via sternatur.

Tales

XXIII.

Tales regulas seu habitus instrumentales tres, GRAMMATICAM, LOGICAM, RHETORICAM non immeritò ponimus.

XXIV.

Nam cum ὁ λόγος oratio, mentis σύμβολον, seu intellectus & voluntatis interpres habeatur, ut commodum & legitimum utriusq; organum sit, Grammatica docet.

XXV.

Cognitionis nostræ norma, & intellectus organum logica est: quâ in scientijs vel rebus cognitione percipiendis, ad veritatem velut certâ regulâ dirigi possit: quâq; non ipsa rerum γνώσις sed τρόπος τῆς γνώσεως explicatur.

XXVI.

Rhetorica in πράξις organum est: hujus enim vi seu συνέ-
μει, quæ ἐν τῷ ἔν λέγειν in benè dicendo consistit, hominum voluntates ad aliquid vel suscipiendum vel omittendam moventur & allestantur.

XXVII.

Ob corporis incommoda depellenda artes illiberales Mechanicas, Sedentarias vel fordidas vulgo dictas, necessarias quidem & hominum generi utiles; Philosopho tamen liberali & ingenuo, & ad altiora elevato indignas, ideoq; Philosophiæ nomine propriè non ornandas esse judicamus.


XXVIII.

Interim tamen inter has discrimen constituimus: ut illæ, quæ simul ad corporis sustentationem & intellectus quamcunq; τελείωσις diriguntur, nobiliores: quæ vero commodum, quæstum, & corporis tantum voluptates spectant, ignobiliores dicendæ sint.

COROLLARIA. *Queritur:*

- I. *Quæ pars Philosophiæ sit præstantior?*
- II. *An quarundam disciplinarum dignitatem minuat, quod à veteribus quibusdam sint vel reprobate vel convitijs lacerate?*
- III. *An Ethica in specie sic dicta, unum tantum hominem privatum instruat?*

F I N I S.



DIS
 DE PH
 PHIA EI
 tibus & in
 prop
 M. NIC
 TRÆO I
 def
 PETRO I
 fano
 In privato Colleg
 demia
 ROS
 Typis August
 M. T

OSO-
 E PAR-
 in ge-
 O PE
 lfato :
 RO Hu-
 ij: in Aca-
 nioris.
 I.

